Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Iacob. funiculus hereditatis eius israhel. Angelos igitur
quibus regendas gentes commisit excelsus uel deos appellari
uel dominos constat. deos. quasi a deo dictos. et dominos
quasi qui a domino sortiti sint potestatem. Unde et dominus deus dice-
bat. Angelos qui non seruauerunt suum principatum. Ego di-
xi dii estis et filii excelsi omnes. uos autem ut homines mo-
riemini et sicut unus de principibus cadetis. Intuentes
scilicet diabolum qui princeps omnium factus est ad ruinam.
Unde constat. quod execrabiles illos fecit praeuaricatio non na-
tura. Tibi ergo oportet israhel qui pars dei es qui funicu-
lus hereditatis eius effectus es. Non est inquit deus alius prae-
ter me. quia uere deus unus est deus. et uere dominus unus est dominus.
Ceteri uero qui ab ipso creati sunt. Contulit nomen istud
non natura. sed gratia. Verum ne aestimes haec tantum
ad illum dici israhel qui secundum carnem est. multo magis haec
ad te dicuntur qui israhel effectus es mente deum uidendo et cir-
cumcisus corde non carne. Nam et si in carne gentes
fuimus. in spiritu israhel sumus. Propter eum qui dixit. Pete a
me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessio-
nem tuam terminos terrae. Et propter eum qui iterum
dixit. Pater omnia mea tua sunt et tua mea.
et glorificatus sum in his. si tamen tu agas ut dig-
nus sis pars esse dei et in funiculo hereditatis eius
mereri. Alioquin si indigne agas exemplo tibi